



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Gregorius II. Legatum suum Bonifacium commendavit Karolo Martello, tum omnibus Francis, rogans eos uti Bonifacio sociisque ejus alimenta victui necessaria subministrarent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

monachos vel ancillas Dei defendere possunt, nec ipsos paganorum ritus & sacrilegia idolorum in Germania sine illius mandato & timore prohibere valeo. Quod ne quis ad vim aut contradictionem Karoli referre possit, prohibet auctoritas ipsius Bonifacii, qui pietatem ejus multis laudibus celebrat, tum etiam epistolarum Summorum Pontificum Gregorij II. & Gregorij III. ac Zachariae, qui eum & vivum & mortuum laudant, ob cetera quidem benefacta ejus, sed etiam ob auxilium Bonifacio praestitum in diversis causis ecclesiasticis. Praeterea Lupus Ferrariensis in vita sancti Vvigerberti cap. 111. Bonifacium laudat quod auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permiserit, eamque violari non consenserit a Principibus, inter quos diu versatus est. Haec sunt verba Lupi loquentis de Bonifacio: *Fuit enim fidei Christianae cum propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus, nesciens aucupari favorem Principum foedissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac male dulcoratis refrigeriis enervare.* Unde colligi debet legitima saeculo illo visa esse quae tempore Bonifacii agebantur in causis ecclesiasticis a Principibus Francorum.

I V. Mittens itaque Gregorius II. Bonifacium in Germaniam, Episcopum jam ordinatum, cum vicibus apostolicae sedis, primum, quod dignitas apostolicae sedis postulabat, eum commendavit Karolo Francorum Duci, cui Martello cognomen haesit. *Pro quibus eum gloriose benevolentiae tuae, inquit, omnimodo commendamus, ut in omnibus necessitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prevaletis, instantissime defendatis.* Sciebat enim non aliter posse hominem peregrinum versari inter Francos quam cum consensu Principis, eum praesertim qui aliqua auctoritate instructus esset quae suspicionem novarum rerum injicere potuisset in animum Principis. Ceterum ut essent qui eum favore suo juvarent apud Karolum, Bonifacium per epistolam generalem commendavit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Ducibus, Castaldiiis, Comitibus, omnibusque Deum timentibus, rogans praeterea eos uti Bonifacio sociisque ejus alimenta victui necessaria subministrarent. Verum contributio illa, praeterquam quod voluntaria erat, infra mediocritatem subsistebat, quod (ut recte adnotat illustrissimus Archiepiscopus) exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus amulanti.

V. Queri autem hoc loco potest, an Bonifacio, qui Romani Pontificis Legatus erat, ea fuerit auctoritas, ut ad eum pertineret congregatio Conciliorum, praesertim cum in

mandatis quae Thessalonicensibus & Arelatis Episcopis data vidimus, illud in primis eis tribuatur, ut quoties ita putaverint esse faciendum, synodos congregent in suis provinciis, quae mandata quoque deinceps sunt Legatis quos post Karoli Magni tempora Romani Pontifices miserunt in provincias. Nam & in epistola Zachariae ad Bonifacium legimus ipsum a Papa petiisse uti sacerdotem quendam mitteret in Galliam ad Concilia celebranda. *Petisti, inquit Zacharias, ut sacerdos a nobis dirigatur in partibus Franciae & Galliae ad Concilia celebranda.* Unde colligi posse videtur penes Legatos fuisse per eas tempestates auctoritatem congregandi Concilia. Verum hanc controversiam statim solvit ipse Zacharias. Nam cum dixisset necessarium non esse ut alius pro hac causa dirigatur in illam provinciam Bonifacio superstitite, qui sedis apostolicae & nostram illic praesentis vicem, demum addit: *Concilia vero, aggregatis Episcopis provincialibus, ut tibi & ubi tibi rectum videtur, celebranda procura.* Poterat ergo Legatus cogitare de celebrando Concilio; sed ejus ministerium quoad hoc in sola suggestionem positum erat, omninoque auctoritate Principis opus erat ad Concilia congreganda, ut patet etiam ex praefatione Concilij Liptinensis. Quare Vvilibaldus in vita sancti Bonifacii cap. 1x. ista recte annotavit: *Cumque Caroli Ducis gloriosi temporale finitum esset regnum, & filiorum ejus Carolomanni & Pipini roboratum esset imperium, tunc quippe Domino Deo opitulante, ac suggerente sancto Bonifacio Archiepiscopo, religionis Christianae confirmatum est testamentum, & orthodoxorum patrum synodalia sunt in Francis correctae constituta.* Item cap. x. *Carolomanum Ducem ad congregandum supradictum synodorum conventum saepissime concitavit.* Sed tum de hac causa, tum etiam de ceteris rebus gestis Bonifacii in legatione, nihil amplius dicam, quoniam illustrissimus Archiepiscopus ista accuratè executus est in lib. vi. cap. xxiv. xxix. & lib. viii. cap. xi.

VI. Vicariam sedis apostolicae dignitatem per sex & triginta annos habuit Bonifacius, decursis videlicet duorum Gregoriorum & Zachariae pontificatibus, qui hoc ei munus summa cum ejus laude madauerant. Illis cum successisset Stephanus istius nominis secundus anno D C C L I I. videretque se velut contemni a Bonifacio, qui toto biennio neque nuntium ad eum miserat neque literas quibus ei gratularetur successionem in cathedra Apostolorum, ac nihilo minus vicariam illam potestatem absque suo permisso retinebat, haud dubie adversus illum incanduit, expirasse eam potestatem docens morte Za-

Qij

Bonifac. epist. 149

S. Zachariae

Epistolae

Bonifacii

Vita sancti Martelli

cap. 111

Vita sancti Gregorii

Vita sancti Gregorii

S. Gregorius